

11. Atqui neque formaliter separari possunt; nam e. g. substantia in angelo intrinsece et essentialiter est spiritualis, in lapide vero intrinsece et essentialiter est materialis; dist.: substantia concreta — conc.; substantia abstracta — nego; secus tota dialectica impossibilis esset ac merum figmentum mentis; imo hoc de omnibus scientiis dicendum esset.

12. Atqui neque in universali abstracto possunt gradus metaphysici distingui; nam conceptus debet rem exhibere sicut est, i. e. cum suis notis tum individualibus tum essentialibus; dist.: conceptus adaequatus — conc. inadaequatus, subd.; quoad id, quod exprimit — conc.; quoad modum, quo exprimit — nego.

13. Atqui debet saltem modum essentialem exhibere; alias e. g. substantia non posset praedicari de homine et de lapide, in quibus modo essentialiter diverso inest; dist.: non posset praedicari tanquam physice eadem — conc.; tanquam metaphysice eadem — nego. Eo ipso, quod in iudicio substantia — et idem valet de aliis conceptibus universalibus — praedicatur de homine vel lapide, conceptus ille in se abstractus et metaphysicam exprimens realitatem fit concretus, et contrahitur ad realitatem individualement et physicam significandam per relationem ad subiectum, quod est obiectum *materiale*, praedicatum vero obiectum *formale* iudicii.

14. Atqui identitas illa non potest esse solum metaphysica; nam tunc abstractio vel praecisio sese haberet tantum ex parte actus praecedentis, non naturae praecisae; dist.: effective — conc.; terminative, subd.: formaliter — conc.; fundamentaliter — nego.

15. Atqui nullum est fundamentum in re; nam illud fundamentum aut esset aliquid reale in ipsa re, et tunc deberet esse iam distinctio realis in re; aut nil est reale, et tunc non est fundamentum reale. Ergo nullum est fundamentum. — Nego disiunctionem et addo tertium membrum: aut est aliquid solum fundamentaliter in re, formaliter autem in mente; nam *fundamentum* disiunctionis in re non debet iam in se esse *distinctio aliqua realis*.

Liber tertius: Obiectum idearum.

1. *Notio*: Origine et natura idearum explicatis, restat inquirendum, quale sit earum obiectum. qua quaestione rite soluta, idearum nostrarum valor obiectivus perfecte dignoscitur. Iam vero obiectum idearum duplex distinguendum est: *materiale* et *formale*. Obiectum *materiale* idearum sunt res vel existentes vel solum possibiles, sicut in se sunt, abstractione facta a nostra cognitione; quae quidem res possunt esse obiectum materiale diversarum operationum et facultatum. Obiectum *formale* est illa ratio obiectiva, quam facultas operans in obiecto directe intendit, sub qua illud praecise attingit, et sine qua illud percipere nequit. Sic idem pomum potest esse obiectum materiale diversarum facultatum: videndi, tangendi, gustandi; intelligendi, ratiocinandi, appetendi etc., sed ratio formalis, sub qua singulae facultates idem pomum attingunt, est prorsus diversa: pro oculis color; pro tactu extensio, mollities, durities; pro gustu sua-

vitas; pro intellectu eius natura et relationes ad alias res mundi; pro ratiocinio e. g. cultura pomi, commercium etc., pro appetitu bonitas vel materialis vel spiritualis quoad finem hominis (ratio sanitatis, honestatis, mortificationis, amoris proximi vel divinae bonitatis).

2. *Divisio*: Quaeritur igitur, quid sit obiectum *formale* et *materiale* idearum nostrarum, sive, quod idem est, cognitionis intellectualis nostrae. Unde primum explorabimus, quid sit obiectum *idearum formale*; deinde quid sit earum obiectum *materiale*; tertio usque quo se extendat obiectum materiale et formale intellectus nostri, i. e. qui sint *fines* cognitionis nostrae.

Caput I: De obiecto formali idearum.

Thesis XV: Obiectum formale ultimum idearum est ratio entis universalissimi, proximum autem rerum essentiae, eaeque universali modo conceptae.

St. qu. 1^o Ratio entis universalissimi ab omni determinatione generica, specifica, individuali, immo etiam a rerum existentia vel possibilitate, neque exprimit nisi oppositionem ad nihil, i. e. esse positum extra nihil et quidem extra nihil absolutum (nihil essentiae), quae ratio entis certe in omnibus rebus sive materialibus, sive immaterialibus, finitis sive infinitis, existentibus vel solum possibilibus verificatur. Si igitur affirmamus obiectum formale idearum esse rationem entis universalissimi, nolumus contendere, primum actum cognitionis nostrae versari circa nudam hanc rationem abstractissimam, ut vult *Rosmini*; constat enim notionem entis ut sic esse factitiam, neque acquiri nisi per abstractionem mentis ontologicam satis difficilem. Neque affirmamus, nos res percipientes primo efformare ideam entis ut sic et deinde entis determinati per idearum compositionem logicam et metaphysicam, quod volunt idealistae pantheistici ut *Hegel*; sed contendimus, nos nullum obiectum posse cognoscere nisi rationem entis in se contineat aliquo modo determinati. Sicut enim oculus, cuius obiectum formale est color, non colorem mere abstractum a re colorata, sed rem aliquam certo modo coloratam percipit, ita etiam intellectus noster ideis suis, quas ex fontibus cognitionis (ex experientia interna et externa, ex intelligentia immediata et mediata, ex auctoritate divina vel humana) acquirit, res cognitae apprehendit sub ratione *entis certo modo determinati*, ita ut omnis conceptus implicite contineat *notionem* entis, sicut omnis res implicite continet *rationem* entis.

2^o *Rerum essentiae* nihil aliud sunt, nisi ratio entis certo modo determinata, quae in omnibus rebus eiusdem speciei eadem invenitur, quamvis in multis accidentibus differant; e. g. homo = ens —

substantiale — corporeum — vivum — sentiens — rationale. Notandum autem est, etiam accidentia habere suam essentiam et conceptibus universalibus exprimi, et nostram rerum cognitionem plerumque esse valde imperfectam. Iam vero rerum essentia distinguitur *physica* et *metaphysica*. Essentia rei physica vocatur, quae rem exprimit saltem cum proprietatibus suis necessariis, sine quibus *existere* nequit; e. g. homo = substantia rationalis libertate, risibilitate, extensione etc. praedita. Essentia rei metaphysica est ea, quae rei solas notas essentiales exprimit, sine quibus *concipi* nequit, e. g. homo = animal rationale. Patet, conceptum essentiae metaphysicae non fieri nisi per reflexionem mentis valde perfectam. Quam igitur essentiam idea exprimit? *Idea primitiva* exprimit *essentiam physicam*, idea autem directa quidem, sed *discursive factitia* exhibet essentiam rei *metaphysicam*. Utraque vero idea rationem entis implicite continet, primitiva *imperfecte* et modo *directo*, discursive factitia modo *reflexo* et *perfecto*.

3^o Quamvis ideas nostras rerum essentiam exprimere dicamus, non tamen eam modo individuo nos percipere et exhibere contendimus, sed modo universali. Distinguendum autem est *universale directum* et *reflexum*; universale directum exhibet naturam rei absolute consideratam (comprehensionem conceptus), quin modum, quo singulis individuis insit, attendat; unde est potius *potentia* universale; reflexum autem naturam conceptu expressam ad inferiora actu extendit, et est *actu* universale (extensio conceptus). Unde affirmamus, conceptus nostros rerum essentias modo universali exhibere: *directos* quidem potentia universales, *reflexos* actu universales.

I. *Obiectum formale idearum ultimum sive fundamentale est ratio entis abstractissima.*

Prob. 1. Ex conceptu obiecti formalis et natura entis: Illa ratio obiectiva est obiectum formale idearum, quae in omni idea concipitur, et sine qua nihil concipi potest, et quae remanet omnibus aliis notis abstractis. *Atqui* in omni idea ratio entis vel explicite vel implicite concipitur; implicite in omni idea primitiva (in universali directo); explicite in omni idea philosophice reflexa (universali reflexo). Nam a) nihil concipi potest, quod non sit ens, i. e. quod in se repugnet, e. g. circulus quadratus; b) quotiescunque ideas nostras analysi resolvimus in notas suas, i. e. si reflexione ontologica simpliciores ex eis efformamus, tandem semper ad notionem entis devenimus, a qua abstrahere non possumus; ab omnibus autem aliis notis abstrahere licet, quin obiectum mentis destruat; c) sola igitur ratio entis sufficit, ut adsit obiectum conceptus. *Ergo* ratio entis abstractissima est obiectum formale ultimum idearum.

2. *Ex conceptibus negativis:* Conceptus negativi sunt illi, qui expriment non-ens, i. e. negationem, privationem, contradictionem. *Atqui* etiam hi conceptus formari nequeunt sine ratione entis; formantur enim per *negationem* perfectionis alicuius, i. e. entis cuiusdam debiti vel indebiti, e. g. caecus, non-homo etc. *Ergo* nullus conceptus sine ratione entis formari potest, et ipsa sola sufficit ad conceptum formandum, ac proinde est obiectum formale ultimum idearum, quasi lumen mentis, quod primum se manifestat in omni re et alia, quae in ea sunt, revelat. Iure igitur S. Thomas: „Ens est proprium obiectum intellectus; et sic est primum intelligibile, sicut sonus est primum audibile.“¹⁾

II. *Obiectum formale idearum proximum est ratio entis aliqua determinata sive essentiae rerum.*

Prob. 1. Per exclusionem: Constat ideas habere valorem obiectivum, ac proinde res aliquas repraesentare. *Atqui* nisi essentias rerum repraesentarent, nullum haberent obiectum reale; nam aut exhibent res ut sunt in se, aut ut sunt quoad nos. *Atqui* non repraesentant res ut sunt quoad nos; hoc enim est sensuum, qui qualitates rerum sensibiles manifestant. *Ergo* ideae expriment res ut sunt in se, ut habeant obiectum a sensibus distinctum. Res autem exhibere, ut sunt in se, nil aliud est atque earum essentiam. subiectum qualitatum sensibilibum et principium totius activitatis repraesentare.

Sive alio modo: Ideae aut rerum essentiam aut accidentia referunt, et si accidentia, ea referunt vel ut accidentia — sc. eorum naturam communem, in quantum sunt qualitates alicuius subiecti substantialis eiusque manifestationes, vel ut phaenomena individua, quemadmodum ad sensus spectant. *Atqui* ideae non expriment accidentia hoc modo individuo, sed sensationes. *Ergo* ideae nostrae essentiam repraesentant rerum i. e. vel substantiarum vel saltem accidentium. — Ideae igitur *primitivae* expriment essentiam rerum *physicam*, sicut immediate se per sensibiles qualitates (accidentia logica) in sensatione manifestat; ideae autem *factitiae* essentiam rerum *metaphysicam*, sicuti est subiectum et principium qualitatum tum mere accidentalium (accidens logicum), tum essentialium (accidens proprium, metaphysicum).

2. *Ex natura intellectus:* Intellectus ex natura sua percipit, quod latet sub phaenomenis sensibilibus. *Atqui* sub illis latet essentia rerum apparentium. *Ergo* obiectum formale intellectus est rerum essentia. Quod argumentum verbis perpulchris S. Thomae

¹⁾ S. Theol. I, qu. 5, a. 2. c.; cfr. Alamannum, II, qu. 98.

proponamus: „Nomen intellectus quendam intimam cognitionem importat; dicitur enim *intelligere* quasi *intus legere*. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat ad essentiam rei. Obiectum enim intellectus est *quod quid est*. Sunt autem multa genera eorum, quae interius latent, ad quae oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis, sub verbis latent significata verborum, sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata (res enim intelligibiles sunt quodammodo interiores respectu rerum sensibilibus, quae exterius sentiuntur), et in causis latent effectus et e. converso. Unde respectu horum omnium potest dici intellectus.“¹⁾ Ratio igitur, cur intellectus rerum essentias percipit, est, quia est facultas immaterialis, cui obiecta mere sensibilia non sunt proportionata.

3. *Ex natura idearum*, idque a) *ratione comprehensionis earum*: Ideae nostrae nihil eorum exprimunt, quibus res se sensibus manifestant; nam conceptus hominis, arboris, trianguli abstrahit a certa quantitate, certo colore, motu, figura, immo etiam ab existentia rerum actuali; non exhibet nisi substantiam quandam, sive subiectum et principium qualitatum sensibilibus et insensibilibus. *Atqui* ideae certe aliquid reale, et quidem perfectius quam sensus, repraesentant. *Ergo*, quod repraesentant, debet esse rerum essentia;

b) *ratione extensionis earum*: Ideae nostrae sunt universales ac proinde aliquid commune exprimunt, quod in multis rebus eodem modo inest et de eis praedicari potest e. g. homo = animal rationale. *Atqui* in rebus nihil commune invenitur praeter essentiam earum abstractam; individuatio enim et proprietates sensibiles rebus singulis sunt propriae. *Ergo* conceptus rerum naturam exprimunt.

4. *Ex absurdis*: Nisi ideae exhiberent rerum essentiam, scientiae omnes vanae essent i. e. valore obiectivo et certitudine destituerentur. Nam obiectum scientiae non sunt phaenomena rerum sensibilia, individua, contingentia, sed sunt rationes rerum aliquo modo universales, necessariae, aeternae, quibus non modo veritates metaphysicae, sed etiam mathematicae, necnon leges physicae et morales niti possunt, ut inde necessitatem suam et certitudinem hauriant; sic zoologia et botanica species i. e. typos *communes* considerat; physica, astronomia, chimica leges *generales* motus et combinationis corporum, mathematica relationes *necessarias* extensionis investigat. *Atqui* rationes rerum universales non fundantur in rerum phaenomenis, sed in earum essentia, quae sola est eadem in

¹⁾ S. Theol. II, II qu. 8. a. 1. c.

omnibus et immutabilis. *Ergo* scientiae, ne sint vanae, quod nemo affirmare audebit, requirunt, ut ideae nostrae rerum essentiam exhibeant.

III. *Obiectum formale idearum in specie sunt essentiae rerum modo universali conceptae.*

Prob. 1. Ex origine idearum: Ea est natura cognitionis nostrae intellectualis, ut mens nostra res non in eis ipsis attingat, sed sicut sensibus nobis repraesentatur. *Atqui* intellectus, utpote facultas immaterialis, non potest res percipere, ut sensus afficiunt, i. e. modo illo individuali et concreto, quo res organa nostra determinant, neque intuetur essentiam rerum singularem; sed abstrahit a modo individuali et concreto, quo res in se ipsis sunt et in sensatione exhibentur. *Ergo* intellectus noster imperfectus, ex sensatione obiectum suum percipiens, non potest nisi modo universali essentias rerum repraesentare. — Similiter S. Thomas ex eo, quod materia sit principium individuationis, intellectus autem res modo immateriali cognoscat, universalitatem cognitionis intellectualis deducit.¹⁾

2. *Ex natura idearum*: a) Ideas nostras si examinamus, omnes universales esse facile perspicimus; hoc patet quoad ideas reflexas, quae ut universales directe cognoscuntur. Sed non minus patet quoad ideas directas; nam ideae reflexae supponunt, ideas directas iam potentia esse universales; secus enim de individuis infinite multis eodem modo praedicari non possent. — Quod idem dicendum est de *verbis*, idearum signis. Immo etiam nomina propria, si eorum et origo et significatio (e. g. Cicero a cicere; Lentulus a lente) in se considerantur, multis individuis per se tribui possunt. b) Ideae nostrae de multis individuis eodem modo praedicantur. *Atqui* si ideae non essent universales, non possent de pluribus, neque eodem modo praedicari per identitatem, quia res singulares non possunt esse inter se identicae. *Ergo* ideae nostrae rerum essentiam modo universali exhibent.

3. *Ex experientia*: Constat, a) nos ignorare essentiam rerum individuum; alioquin possemus indicare, in quo e. g. Petrus tanquam individuum humanum *intrinsecus* a Paulo differat. b) Constat porro, nos, si rem individuum significare volumus, vel cumulare conceptus universales, i. e. notas rem individuum manifestantes (non intrinsecus constituentes), ita ut conceptus hoc modo determinatus vix alteri individuo convenire possit; vel nos referre conceptum rei indicandae ad sensationem aliquam praesentem, dicendo: hic vel ille, quem

¹⁾ S. Theol. I, qu. 86, a. 1. De veritate, a. 5.

video, audio, tango etc., quod veteres vocabant „conversionem ad phantasmata“. Atqui si conceptus nostri essentiam rerum individuam manifestarent, sciremus, in quo res individuae intrinsecus differunt; neque necessaria esset illa cumulatio notarum, neque illa conversio ad phantasmata vel ad sensationem externam. Ergo ideae essentiam rerum modo universali exprimunt.¹⁾

4. *Ex absurdis*: Si ideae nostrae exhiberent essentias rerum individuas saltem directe et per se, non possemus: 1^o neque iudicia; 2^o neque ratiocinia formare; 3^o nulla posset esse scientia. Atqui hoc repugnat conscientiae nostrae et experientiae. Ergo ideae nostrae essentiam rerum universalem exhibent.

Prob. minor. 1^o In omni iudicio: a) praedicatum de subiecto per identitatem praedicatur; b) praedicatum debet esse conceptus universalis, et nisi sit definitio, latius patere quam conceptus subiecti, quod in sua extensione concludit. Atqui si ideae non exhiberent nisi res individuas, non posset fieri praedicatio per *identitatem*, si quidem res singulares non possunt esse identicae; sed ad summum *similitudo* subiecti et praedicati enuntiari posset. Neque praedicatum tunc latius patere posset quam conceptus subiecti, neque hoc in se concludere posset ex eadem ratione. Ergo omne iudicium supponit ideas universales.

2^o Ratiocinia sunt vel a priori vel a posteriori. Atqui ratiocinium a priori supponit veritates universales, ex quibus magis particulares deduci possint; ratiocinium autem a posteriori supponit saltem principium generale causalitatis ac proinde ideam universalem causae, ex qua causae magis particulares deducantur. Ergo ideae si essent de rebus individuis, non possent esse ratiocinia.

3^o Scientiae sunt vel analyticae e. g. scientiae naturales, vel syntheticae sicut mathematica, vel utrumque simul. Atqui scientiae syntheticae, ut patet ex conceptu ipso, supponunt ideas universales, ex quibus reflexione ontologica, adhibito principio contradictionis et ratiocinio deductivo, veritates sive ideae magis particulares derivantur, e. g. theoremata de triangulo ex conceptu trianguli. Scientiae vero analyticae vel leges phaenomenorum statuunt, adhibita inductione legitima, i. e. innixae principio causalitatis; vel ex legibus generalibus iam statutis phaenomena explicant. Scientiae vero simul methodum analyticam et syntheticam adhibentes, ut ex dictis patet, tum ideas universales tum principia generalia supponunt. Ergo si ideae nostrae essent singulares, nulla posset esse scientia.

¹⁾ Cfr. S. Theol. I, qu. 86, a. 1: „Cum non contingat intelligere nisi secundum abstractionem a materia, impossibile est, singularia ab intellectu apprehendi directe, sed tantum indirecte secundum quandam reflexionem“

Contra I. partem obicitur:

Obi. 1. Si ratio entis universalis esset obiectum formale mentis, deberet esse primum obiectum mentis nostrae, quod conscientiae et experientiae contradicit; dist.: deberet esse primum obiectum mentis ut idea entis reflexa — nego; ut directa, subd.: praecedens cognitionem aliarum rerum — nego; simul in et cum rebus, i. e. implicite percepta — conc.

2. Atqui idea entis directa saltem deberet praecedere alias cognitiones; esset enim formalis ratio cognoscendi; dist.: ratio entis *obiectiva* debet in rebus praecedere cognitionem eius — conc.; idea entis debet praecedere — nego. Eodem argumento posset ostendi, etiam visionem coloris debere praecedere perceptionem rerum coloratarum.

3. Atqui ratio entis ut obiectum formale intellectus in rebus inesse non potest; alias in omni re omnes res perciperemus, si quidem ens universale omnes res in se comprehendit; dist.: confuse — conc.; distincte; subd.: si res aliae simul cum ratione entis, cuius sunt determinationes, distincte intellectui proponuntur — conc.; alias — nego.

Contra II. partem:

4. Essentiae rerum materialium sunt intrinsecus materiales ac proinde ab intellectu immateriali cognosci nequeunt; dist.: essentiae rerum visibilium concretae, physicae sunt materiales — conc.; essentiae illae per mentem abstractae non sunt immateriales — subd.: positive immateriales — conc.; non sunt praecisive sive negative immateriales¹⁾ — nego. — Per mentis abstractionem illae rationes in rebus visibilibus cognoscuntur, quae etiam in rebus spiritualibus inveniuntur, e. g. substantia, vita, causa, unum, bonum, verum, numerus etc. Res materiales cum sint imitationes divinae essentiae et in divina mente earum exemplaria reluceant, etiam ab intellectu humano hoc modo ideali percipi possunt. Quodsi difficultas proposita quidquam probaret, Deus quoque res materiales cognoscere non posset.

5. Atqui tunc res materiales non ut materiales cognosceremus, et idealismus induceretur; dist.: res materiales non modo materiali in intellectu nostro existunt — conc.; non cognoscuntur ut in se materiales; subd.: per intuitionem — conc.; per relationem ad sensationes — nego.

Contra III. partem:

6. Atqui res saltem non modo universali cognoscuntur; alioquin res individuae nobis essent ignotae; dist.: non directe cognoscuntur ut individuae — conc.; neque indirecte, i. e. per conversionem ad phantasmata — nego.

7. Atqui res directe et ut individuae conceptibus apprehenduntur; nam intellectus obiectum suum in sensatione percipit, in qua modo concreto et individuali existit; dist.: existit in sensatione modo individuali pro sensibus — conc.; pro intellectu, subd.: si haberemus intuitionem intellectualem vel si intellectus obiectum sensuum qua tale percipere posset — conc.; quum cog-

¹⁾ Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 85, a. 1 ad secundum.

nitio nostra intellectualis sit abstractiva, ut testatur natura i. e. comprehensio et extensio idearum nostrarum, neque obiecta sensibilia possint esse eius obiectum immediatum — nego. Res igitur *ut singulares* cognoscuntur eo, quod conceptus per se universalis ad obiectum sensationis ab *eadem* anima simul intellectuali et sensitiva referatur, quod veteres vocant „conversionem ad phantasmata“. — Quodsi ratio adducta probaret, consequens esset, intellectum nostrum directe non apprehendere nisi ipsas qualitates sensibiles easque modo concreto et individuali, ita ut cognitio essentiae et substantiae rerum fieret per modum conclusionis et per analogiam, quod tamen repugnat tum conscientiae nostrae, tum comprehensioni et extensioni idearum nostrarum.

8. Atqui si ideae nostrae res modo generali repraesentarent, essent falsae; dist.: negative, i. e. imperfecte res repraesentant — conc.; positive; subd.: quoad id quod expriment — nego; quoad modum, quo repraesentant: iterum dist.: si repraesentarent res ut in se universales — conc.; cum a modo, quo res existunt, abstrahant — nego. „Abstrahentium enim, ut dicunt, non est mendacium“.

Scholion. De cognitione singularium: Scotus et Suarez censent,¹⁾ nos directe res singulares percipere et quidem conceptu proprio, qua in re a S. Thoma dissentire videntur. Sed eorum sententia forte aliquo modo componi potest cum iis, quae S. Thomas (S. Theol. quaest. 85, art. 3) docet: „Cognitio singularium est prior quoad nos quam cognitio universalium, sicut cognitio sensitiva (prior est) quam cognitio intellectiva“; et ibidem distinguit inter cognitionem reflexam („intentio universalitatis“) et directam („universalis intentio“, sive „natura universalis“); inter originem cognitionis eiusque perfectionem, inter comprehensionem et extensionem conceptus, inter cognitionem rei claram et distinctam. Si igitur *obiectum* (comprehensio conceptus) cognitionis nostrae intellectualis consideratur, sc. illud quod primum in sensatione percipimus, patet, intellectum in cognitione *directa* per abstractionem naturalem primo quidem percipere naturam rei in se *singularis*, sed *modo generali*, quin tamen in prima illa cognitione directa (simplici apprehensione) attendat ad hanc universalitatem; ac proinde haec apprehensio intellectualis simul coniuncta cum sensatione praesente est cognitio rei singularis, eiusque conceptus proprius. Haec autem rei cognitio nondum est distincta, quia notae rei non satis ab invicem distinguuntur. Cognitio vero *logice reflectens* in extensionem conceptus directi eum, potentia iam universalem, actu ad multa extendit, i. e. eius universalitatem directe intendit. Cognitio *ontologice reflexa* in comprehensionem huius conceptus directi, plerumque valde compositi, notas eius singulas considerat et conceptus magis universales inde efformat. Hoc modo conceptus primo *confusus* fit distinctus et actu universalis.

Si vero *modus imperfectus* cognitionis nostrae tum intellectualis tum sensitivae spectatur, quae „de potentia in actum procedit“, patet, nos primo res modo aliquo *confuso* percipere, ita ut paulatim rei diversas notas distinguamus. S. Thomas adducit exemplum rei procul et prope visae, necnon puerorum, qui initio omnes viros patres vocant, nondum distinguentes inter

¹⁾ Cfr. Al. Schmid, Erkenntnislehre, I, p. 443 sq. Lehmen, Lehrbuch der Philosophie², II, 350 et 390 sq.

hominem et *hunc* hominem; ex quo exemplo iam Aristoteles eandem atque Angelicus Doctor statuerat sententiam.¹⁾

Caput II: De obiecto materiali idearum.

Vidimus, obiectum formale idearum in genere esse rationem entis abstractissimam. Quidquid igitur habet rationem entis, ab intellectu nostro cognosci potest, sive eius est obiectum materiale. *Atqui* nihil est, neque quidquam esse potest, quod non sub ratione entis universalissimi contineatur, sive sit res materialis sive immaterialis, sive existens sive possibilis, sive finita sive infinita. *Ergo* obiectum materiale intellectus *per se* sunt omnes omnino res, dummodo debita ei proportionem proponantur.

Iam vero constat, nos re vera multas res non cognoscere, neque omnes eodem modo cognoscere. Quaeritur igitur: 1^o quale obiectum sit primum et proportionatum cognitionis nostrae, 2^o quale vero secundarium et inadaequatum; 3^o quomodo nosmetipsos cognoscamus.

§ 1. De obiecto primario et proportionato intellectus nostri.

*Thesis XVI: Obiectum primum, proprium et proportionatum cognitionis nostrae intellectualis est essentia rerum materialium.*²⁾

St qu. 1^o Obiectum *primum* est illud, quod a facultate cognoscendi tempore et natura primo attingitur; agitur hic potissimum de cognitione directa per abstractionem naturalem, quae conceptu primitivo exprimitur. *Obiectum proprium* est, quod facultas directe et in se cognoscit, non per relationem ad aliam rem; exprimitur igitur conceptu proprio, non analogo; obiectum *proportionatum* est, quod naturae physicae facultatis congruit.

2^o Non affirmamus, essentias rerum, ut sunt individuae, sive ut sunt materiales, esse obiectum intellectus; sed essentias rerum praecise spectatas sub ratione generali, i. e. *praecisive immateriali*, quae etiam in rebus spiritualibus inveniri potest: ens, unum, verum, bonum, substantia, accidens, causa, finis, vita etc.

3^o Adversarii sunt *Platonici* statuentes nos primo et proprie formas rerum immateriales in se subsistentes percipere; *Ontologistae*, qui existimant, nos primo divinae naturae habere intuitionem; *Idea-*

¹⁾ Cfr. Alamannum, S. philos. S. Thomae, II, qu. 100, a. 3. Opusc. 49: „De sensu respectu singularium et intellectu respectu universalium“. Wundt (System der Philos., p. 218) putat conceptus generum vel specierum *intermediarum* primum formari, deinde supremos et infimos.

²⁾ Cfr. S. Theol., I, quaest. 84 integram, praesertim art. 7 et 8.